JURIS JUSTINIANEI

QUIS USUS IN ITALIA FUERIT

EX

EVERSO GOTHORUM REGNO

AD

XII USQUE SÆCULUM

AUCTORE

ANTONIO ROSSI





NEAPOLI

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM A. MANUTII

MDCCCXLVIII



Romanarum legum temporumque historias cogitanti mihi ac repetenti, universo fere jurisconsultorum literatorumque consilio, harum memoriam homines tunc penitus amisisse, quo Barbaris Occidentis imperium occupatum, fuisse retentum: re magis tamen perpensa nonnullis Italiae regionibus perpetuo servasse videntur. Quapropter, etsi quampluribus Romanas Leges Barbarorum incursu ad Lothari tempus usque desuetas compertum sit, hujus abolitionis tot contradictiones, totque chronologiae repugnantia

re censentur. Hanc alii Longobardis ita culpam conferunt, ut dispersa earum legum volumina, licet hisce rejectis, Carolus Magnus in pristinam auctoritatem restituendas curarit, ob exemplarium inopiam animum demitteret [1]; istam deridentes alii opinionem, ipsum Carolum in primis illas eversurum existimant [2]. Neque nobis cupientibus atque inquirentibus quid certi de earum legum restitutione datum: etenim quam Lothario imperante ob rem consentiant, ac praesertim cum Rogerio dimicaret, in lucem rediisse, porro circa tempus locumve haud levioris momenti discrimen reperitur [3].

Quo enim modo ista legum volumina barbaris illis temporibus servari integre potuissent, multi permulta opinantur. At non pauci Amalphi servata pollicere videntur, quod Joan: Andreas de Giorgio admiratur [4]. Id ve-

[1] Gravina de ortu et progressu juris Civilis lib. 1, cap. 139. — Balduin: in prolog. instit. — Arthur. Duck. de auctor. juris, lib. 1, cap. 5, § 2.

[2] Gonsalez in C. super specul. de privileg. n. 2.

[3] Sigon. de Regno Italiae, lib. 12, anno 1137.

[4] *In hoc admirandum cognoscimus injuriam temporis*

rum quamplures impossibile censentes, mercaturae potius gratia Amalphitanis in Graeciam proficiscentibus, priusquam Pisanis diriperentur, empta existimant. Quam omnium cogitationem, quum graves temporum circumstantiae, tum illius aevi documenta magnopere fallunt.

Ac mihi reposcenda horum jurisconsultorum ratio, quidve de juris Civilis abrogatione senserint. Odio enim, tam imperium, quam nomen ipsum Romanum Barbaros illos prosequutos, ut subjectos populos propriis moribus accomodarint. At quo auxilio id nuntiarint, quave auctoritate freti penitus ignoratur. Ac si pro nudis traditionibus quid certi perscrutari conarentur, primum illas Italiae regiones Barbaris occupatas, aliis horum incursu immunibus sejunxissent, quibus perpetuo Romanas leges viguisse liquet;

---

magnis aedificiis. Thermisque Romanorum non pepercisse, levibus tamen paginis, in quibus tantum jus, erat conscriptum officere non potuisse, nec tineam eas corrodere valuisse. In 2 par. M. S. repetit. Feudal. Cap. 1. De Feud. sine culpa non omittendo.

deinde Longobardis ipsis, ac praesertim, Liutprando summam imperii habente, usu receptas fuisse omni dubitatione siquidem caruissent.

Gothos enim primum qui Italiam atque alias Occidentis imperii provincias occuparunt, Romanas leges magni habuisse compertum.

Theodoricus qui sanctimoniam Romani juris apprime norat, non solum Italiae provincias, sed Gothos ipsos regi jure Romano jussit [1]. Hinc quamvis sub initia Regni sui celebre illud edictum componi curarit, ejus capita fere omnia e jure Romano hausit. Idque Theodoricus ipse testatur, qui sic edicto effatur. *Quae ex novellis legibus ac veteris juris sanctimonia pro aliqua parte collegimus, et Gothis Romanisque apud nos jus esse commune* [2]. Atque notandum videtur Gelasium Romanum Pontificem Theodorico esse gratulatum quod Romanas leges cu-

[1] Cassiod. Variar. lib. 1. Epist. 27, lib. 3, Epist. 13, 43.

[2] Cassiod. loc. cit. lib. 3, Epist. 43 — In decret. Grat. distinct. 10. cap. 12.

stodiendas praecepisset [1]. Neque aliter qui succcesserat Alaricus autumavit [2]; quinimo, nisi suum *Breviarium* ex Pauli sententiis, nec non Theodosii, Gregorii, et Hermogenis codicibus colligi jusserit, fere hac juris civilis parte destitueremur.

Cum vero Gothis Longobardi successissent, ob illum tunc temporis in Italia rerum statum, nobilibus exceptis, a suis legibus usibusque alienos habuere quamplurimos; neque tamen praetereundum inter barbarorum leges longobardicas habitas fuisse aequiores, licet a vitiis temporum haud raro immunes [3]. Etenim nisi forte haud ita se res haberet, scriptores procul dubio, quum illius aevi, tum posteriores commemorassent. Neque nos fugit, uti nonnullis scriptoribus visum, Longobardos, qui in primis vitam sine lege scripta, sed propriis usibus

---

[1] Altesser. rer. Aquit. lib. 3, cap. 14 — Et Gelasii Epist. apud Ivonem. parte 1.

[2] Cassiod. l. 8. Ep. 3.

[3] Grat. in proleg. ad histor. Gothor. — et Jannon. histor. civ. lib. 5, cap. 5.



degerint, subjectis populis proprias leges reliquisse. Prima haec profecto illorum irruptione usque ad longobardici regni occasum, indistincte amplecti nequeunt. Procul enim dubio Paulus diaconus, dimisso Ducum regimine, atque Rothari rege renuntiato, aureum aevum quamvis adnotaret [1]; illa tamen securitatis signa, temporibus sanguinis ac nullius personarum tutelae antea peractis, comparanda. Neque illis historici dictis aliqua prorsus ratio consequitur, quin certe essemus adducti ut crederemus Romanas leges apud barbaros tunc temporis auctoritate pollere. Edicto quidem Rotharis nulla prorsus istarum legum memoria invenitur: at successoribus regibus aliquid illis auctoritatis tributum fuisse videtur. Quo enim modo miserrimis illis temporibus, Itali longobardorum ducibus subjecti, interque unumquemque victorem Tertiatores atque Aldii partiti, nullo Widrigild, ac civitatis jure praediti, proprias servare potuissent! Et post-

[1] Paul. diac. histor. Long. lib. 3, cap. 8.

quam quidquid romanum erat, aut perditum, aut recusatum, aliae leges, aliique mores subeunt, amissaque priscorum institutorum memoria, in barbarorum modos trans omnia ducuntur. Neque in tanta animorum caligine spes ulla restituendarum rerum effulgebat; jampridem enim literarum erant lumina extincta [1], absque cultoribus agri [2], omnesque pene regiones repetitis cladibus afflictae. Illud aevum vere horribile, quod vereor ne majorem vim ad deterrendum habuerit, quam ad commiserandum. Cum enim Itali, civitatis jure viduati, longobardorum Ducum praeda infelix evasissent; illorum leges aeque obrogatas fuisse, neque amissam auctoritatem nisi multos post annos, praesertim ac Catholica Religio barbaris complecteretur, recepisse intuetur.

Atque hic illud videndum in quo summa est dissentio tot scriptorum, qui quum hanc

---

[1] Du Gange voc. Crux. Et nouv. traité des Diplom. par. deux Benedict. tom. 2.

[2] Murat. Antiquit, Ital. med. aevi, vol. 2, dissert. 21.

medii aevi partem explicassent, non quo magnopere ad historiam hoc quidem pertineat, sed tamen ut videatur quam veritati dissentirentur. Constituunt enim primi, nullo locorum discrimine, omnes Italiae regiones in longobardorum potestatem, ditionemque redactas, hinc civile jus penitus desuetum: in contrariam sententiam declinantes alii, etiam barbaris illis populis dominantibus, romanas leges viguisse arbitrantur.

Haec disputans non mihi mens homines eruditos redarguere, quamquam reprehendendi, qui in historiam enucleando, tempora locosque non secernant. Nullum enim nobis certamen cum ipsis habendum, tantum satis intelligi, ne hoc quidem eos consequutos, quod in tanta communi dissentione efficere potuere, ut genera quaestionis discernerent, eaque paulo subtilius explicarent.

Nam etsi legibus ipsis Longobardicis, factisque coevis rationes propriarum sententiarum sumptas profiterentur, tamen si per totam Italiam Longobardos non subactos, neque primis illorum dominationis annis, jus

civile simul ac legibus longobardicis in usum evocatum, animum intendissent, fere omnes unam eandemque opinionem susciperent. Hinc cum primis illud in italis regionibus, quae *Romanae* vocabantur *Romae*, veluti, *Ravenna, Neapoli, Amalphi,* aliisque maritimis Italiae, interrupte diuturneque; cum secundis vero, non primo Longobardorum incursu, sed dimisso Ducum regimine, ac praesertim sub Liutprandi regno, in opem fere longobardici juris viguisse assentimur.

Sed ut eo revocetur unde huc declinavit oratio, ex legibus factisque longobardicis enucleanda res est, ex quibus argumenta eruamus. Nemo qui nesciat, Longobardos sine lege scripta, sed propriis usibus per septuaginta fere annos vitam vixisse: Rotharim inde, qui primo edictum in lucem edidit, nil operae romanis dedisse rebus ac legibus compertum est; quinimo leges ipsae, quae edicto continebantur penitus juri civili contrariae atque dissimiles evadebant. Accedebat ut non pauca juris argumenta pro-

cul dubio extarent, de quibus Rotharis neque loquutus, uti ipse Rex Liutprandus testatus est [1]. Haec nonnullas circa liberos *livellarios* quaestiones [2] atque aliquas ob homicidia expediendae salutis gratia mulctas, pervetustarum consuetudinum more comminatas, prospiciebant. Hinc prono alveo fluit, praeterquam quod de italorum illius tempestatis miserando statu dictum est, romanas leges, dominis illis, desuetas, omninoque Rotharis edicto fuisse praetermissas.

Longobardi vero tum finitimarum regionum intuitu, Romae veluti, Ravennae, Neapolis, Amalphis, quum romanorum omnium justinianeorum, miserrimis illis belli, partitionisque Italiae diebus, jus disciplinasque cunctas possidentium, novos mores addiscebant. Hinc rudes illi, nominisque romani acerrimi hostes usuum legumque propriarum imperfectionem sentiebant; finibusque Italiae romanae instituta ac leges adillos

[1] Lib. 6 L. 8 Liutp.
[2] Lib. 6 L. 9 Liutp.

longobardici regni pervaserint, atque animos barbararum gentium irretissent, germanicam asperitatem mitigarunt. Praeterea refert videre unumquemque proprias terras perficiundas operam dando, juris civilis per varios contractus interdiu adoptasse: ususfructus inde εμφυτευσεως, locationis conductionisque, aliorumque contractuum species, antheac illis ignotas, Rotharisque edicto rejectas, intuemur effusas. Re enim vera, tanto hic erga romanos odio prosequebatur, ut quidquid romani sentiret, non tam perficiundi spe, quam obrogandi voluntate derelinqueret, Ac *Savignyus* [1], qui quum de industria edictum illud perlustrari conaretur, longe tamen abfuit, quin illo alias juris civilis, nisi circa castrense filiorum familias peculium [2], ac liberos quibusdam de causis exhaeredandos [3], imitationes inveniret.

---

[1] Hist. du droit. Romaine II. 133.
[2] L. 167 Rothar.
[3] L. 168 a 170 Rothar.

Ab his non multo secus Grimoaldi leges, quae opinionem nostram quam maxime firmant, sevocandae sunt. His enim idem *Savignyus* [1] nonnullas de triginta annorum praescriptione regulas, atque jus repraesentationis successionibus legittimis invocatum, jureque civili excerptum, adnotandum fatetur. Hinc hasce juris notiones merito moribus illarum gentium adscitas, edictoque in subsidium aliquod comparandum, peraeque longobardici juris corpore adscriptas censemur.

Ut igitur de ipsis factis exorditus, mores romanos in illorum hominum mentes, Liutprandi leges praecurrendo, irrepsisse, sic illud affirmo Aunifredi viri longobardi donationis exemplo [2], ille Luccensi Ecclesiae pervarios fundos elargiendo, usumfructum vero sibi servavit. Nil tam reapse Rotharis edicto contrarium, quam proprietatibus usufructus posse sejungi; haud ejusmodi trans-

[1] Savigny. Loc. cit.

[2] Troya Della condizione de'Romani, vinti da Longobardi per 158.

missionis quidem species Germania pernoscebantur.

Mihi fas interim Theodolintae tempus exquirere quae permultis annis, quam Grimoaldus regnaret, antea fuit, atque Agilulphum secundum virum, ac Primates longobardos Catholicam Religionem amplecti hortaretur, suaderetque, Romani justinianei longobardico regno, tam sacerdotium, quam mercaturam exercentes inveniuntur quamplurimi. Tales porro Romani justinianei, ac Theodosiani galliarum vitam externorum potius titulo ac peregrinitatis jure ducebant. Ecclesiis vero tanti jure civili, quanti usibus legibusque longobardicis non contineretur, regi datum: ac Agilulpho imperante, Episcopos multarum Justinianei aeque ac Theodosiani codicum, de Ecclesiasticis legum, auctoritatem atque usum assequutos videntur [1].

---

[1] L. 12 41 Cod. Theod. de Episcop. L. 53. §. 1. Cod. Justin. de Episcop: L. 19 Cod. Theod. de Paganis. L. 4 Cod. Theod. de his qui ad Eccles. confugiunt, L. 3 Cod. Justin. eodem titulo.

Haec ut brevissime dici potuere [1], ita a me dicta. Adspicimus nunc Liutprandi leges atque intuemur, quarum de natura quaerimus, quid intersit hujus Regis inter ac praedecessorum de jure civili studium. Et primo his Liutprandi, quae illas Rotharis numero aequarunt legibus, romanas in pristinam auctoritatem restituentibus, gratulamur. Porro lex qua, tum longobardis, tum cunctis regni incolis mutuas conventiones per Scribas celebrandas, jure civili uti datum, extitit [2]. Hinc de hoc jure discidium illud, absurdum sane tamen et reprehendendum, per istam de Scribis legem sepositum, in romanas leges studium atque amor Clericos etiam longobardici generis, ac populares alliciendo oblectarunt. Atque hoc in genere neque mihi omittendum videtur, quod

[1] Lib. 1, tit. 29, l. 2, in Longob.

[2] De Scribis hoc prospeximus, ut qui cartulas scribunt, sive ad leges Longobordorum, sive ad leges romanorum, non aliter faciant, nisi quo modo in ipsis legibus continetur; nam non contra legem Longobordorum, aut romanorum scribant, etc.

Liutprandus ipse aliis legibus mandare studuisset [1]. Prima enim justinianeas sectando novellas, patres-familias filios bene de ipsorum benevolentia merentes majore haereditatis parte instituere haeredes sanxit: altera ob justitiae naturalis, civilique jure commendatum principium, neque praescriptione scilicet, neque diutino possessu, si falsus possidendi titulus extaret, possessores servari posse prospexit. Duabus hisce tertia de longobardarum cum romanis nuptiis est adstipulanda, maximeque nedum devictorum romanorum gentem, verum etiam Theodosianos galliarum, ac Justinianeos Italiae, negotia praecipue Padi portubus (ex Romana Longobardicam Italiam secernentis) [2] tractantes, respiciebat.

Illud vero mirum, tam civilis juris Liutprandus , longobardorum consuetudinibus atque institutis, principia anteponeret, quam si longius vitam viveret, subjectos populos

---

[1] L. 48, 60, Lib.6, Liutp.

[2] *Troya loco. cit. pag. 194.*

ad romanum vitae cultum informaret. Ille manifeste pugnarum forensium impium usum reprobando sic effatur; *quia incerti sumus de judicio Dei, et multos audivimus per pugnam sine justa causa causam suam perdere: sed propter consuetudinem gentis nostrae Longobardorum legem impiam vetare non possumus* [1]. Impiis *judicialibus pugnis, Dei judicio*, atque hujusmodi aliis, quae penes barbaros obtinuerant [2], legum probationes substituere ille conabatur ; at multum interfuit quin Pontifices atque Ecclesiae Antistites *Dei judicium* [3], atque judicialem conarentur avertere pugnam [4], stultissimos , absonosque juris disceptandi ritus.

[1] L. 65, lib. 6.

[2] Montesq. Esprit. des loix liv. 28.

[3] Alexander II, *ut vulgarem, nullaque fultam canonica sanctione legem damnat ferventis sive frigidae aquae, ignitique ferri contactum*. C. 7, c. 2, q. 5, et c. 2, ibid. — Stefanus V, vetuit confessiones per eos ritus a quolibet extorqueri, sacrosque canones id non censuisse adfirmat. C. 20, c. 2, q. 5. — Concilium Aquisgranense anno 829 habitum jam constituerat ut aquae frigidae judicium non ampliusfieret.

[4] Hujusmodi pugnas prohibuit (Celestinus III , quamvis

Hinc per se patet Liutprandi ope legibusque quantum romani juris longobardico codice perfusum. Quod profecto Philimari Autharis filio per scribam redacta adoptione patet, qua romanas leges adoptans, ob senectutem per liberos adoptivos ab solitudine vindicandam, laudandas fatetur [1].

Accedit vero quo facilius percipi cognoscique jus civile possit mira quaedam in cognoscendo suavitas et delectatio: praesertim ac quum Longobardici edicti inopia, permultae de fundationibus Ecclesiarum ac dotationibus, de patronatus juribus, de usufructu, de emphiteusi, deque demum commercio, atque agrorum cultura, quaestiones jure civili forent dijudicandae. His itaque rebus degentibus, ad *Desiderium* supremum usque ac enerviorem longobardorum regem perventum est.

Ut ergo ad primum revertatur; cum Fran-

Celestini decreto praeivisset Concilium III Valentinum anno 855 habitum — *Du Gange* voce *duellum*.

[1] Troja. loc. cit. p. 201.

ci veteres galliarum provincias occuparint, atque horum primus dux Clodoveus morte praereptus legibus paganis et barbaris emendandis vacare non potuisset, ejus successores sedulo perfecere [1]. Hinc si minor viliores romanos prae francis Widrigild efficiebat, idem porro, devictis civitatem, terrarum proprietates, ac suaemet demum legis usum, quod ne Italia quidem per multis longobardicae invasionis annis effectum, concessit. Hujusmodi concessionis gratia, Curiae Ordinesque ubique Clodoveo devictarum civitatum servati. Hoc, nonnullis etsi Gallis Scriptoribus negatum, multa tamen documenta testantur, quibus insignior antiquiorque formularum Andegavensium extat collectio [2]. Quapropter quemcumque in jus vocatum non loci potius quam sua nativaque uti posse lege invenimus [3]. Tot populorum legibus personalibus, Francorum regnum constituentium vitandis, *Capitularium* usus in-

---

[1] Cod. LL. antiq. Frid. Lindenbrog. tom. 2, in prolog.

[2] Mabillon. Analecta, tom. 4.

[3] LL. Ripuar. tit 31, § 3.

troductus, leges nempe omnibus communes. At *Salicum statutum* ac *Theodosianus codex* unum idemque corpus evadebant, quod illis medii aevi temporibus *Mundana* lex, a canonica secernendum appellatum [1].

Nihil inficiandum secius non est, praeter barbarorum regum perpaucos, Carolum Magnum praecipue extitisse, qui in prolatis suae ditionis regionibus collapsas jamdudum res restituere conatus sit; ac primis Italiae dominationis annis factis potius quam legibus operam publicis dedisse rebus liquet. Capitularibus inde de personalibus populorum Italiae legibus, deque Romanorum successionibus, aliisque non paucis, juris civilis auctoritas atque usus per se patet [2]. Dissimili

---

[1] Troya loco. cit. p. 22.

[2] Sicut Consuetudo nostra est, ut longobardus, aut romanus evenerit, quod causam inter se habent, observemus, ut romani successiones juxta illorum legem habeant; et similiter omnes scriptiones secundum legem suam faciant, quando jurant, secuudum legem suam jurent: et alii similiter; et quando componunt juxta leges ipsius, cui malum fecerint, componant. — In Longob. lib. 2, tit. 57, L. 1.

neque modo Pipini Capitularibus reperitur [1]. Demum jus civile inter francos magnopere, Carolo Magno, ac Ludovico imperantibus, pervulgatum : Alcuino [2], Eghinardoque illustratur.

A Successoribus nec tamen, Lothario qui legem [3] edixit, romanos expetendos quam se profiteri vellent, ac Leonis Papae IV Epistola ex ea progredire dignoscitur [4]; ne dum Carolo Calvo jus civile destitutum, sed ex ipsius Capitulare clare, tam Antecessores, quam eundem illud quoad omnia ratum habuisse infertur [5].

---

[1] LL. 8, 28, 29, Pipini inter Longob. Lib. 2, tit. 22 et 56, L. 23.

[2] Paul. Aemilius Veronensis de Gestis Francorum Lib. 2, sub Carolo Magno.

[3] In Longob. lib. 2, tit, 57.

[4] Vestram flagitamus clementiam ut sicut hactenus romana lex viguit absque universis procellis, et pro nullius persona hominis reminiscitur esse corrupta ita suum robur propriumque vigorem obtineat. — In decret. Gratian. Dist. 10, cap. XIII.

[5] In illis autem regionibus secundum legem romanam judicantur judicia, juxta illam legem committentes talia, judicentur ... Qnia supra illam legem, vel contra ipsam legem

Nunc brevi quod proposui perficiam; mentem enim ad illius tempestatis leges et documenta referendo, romanos primo longobardorum incursu, permultisque post illorum Duces dimissos annis, juris civilis usum, civitatisque beneficium amisisse; neque sensim nisi sub Liutprandi regno recuperasse videntur. Quod profecto Muratorii et Jannonii velle devictorum a longobardis Romanorum felicitatem admirantium, resistit. Tanusius horum errores refellendo, cum tantum ad nimiam asperitatem atque odium in Primates, verum proponendo, incubuerit, ut supra modum cancellos egressus verum propositum extulerit · Romae quapropter jus civile ac etiam Ravennna, extinctum, nec in usum, praesertim ac pandectas Amalphi ut fertur Pisis translatas, evocatum existimavit [1]. Operae vero pretium Tanusium ipsum Longobardici regni Clericos romana lege usos, habuisse.

---

nec Antecessores nostri quodcumque capitulum statuerunt, nec nos aliquid constituimus. Apud Pistas. cap. 20.

[1] Epistola ad Socios Corthonenses . . . De Pandectis.

Hinc Astium hac parte prosequuti [1], Carolo nempe Magno ac successoribus, italos moderantibus populos, jus civile viguisse; numquidnam, necesse, illud, nisi longobardorum Ducum clementia, Rotharisque cura servatum, obstuperi, amissum? Iustiniani, ac Theodosii attamen praeter codices, quibus obtemperari Italis studio fuit; leges romanas verum *Roma*, *Neapolis*, *Amalphis* a Longobardis neutiquam devictae, satisne diceretur ad eas custodiendas non esse?

[1] Donato Ant. d'Asti. — Uso ed aut. della rag. civ.